

- conductum etiam nullum esse servandum, si defectus ab alio tertio proveniat, secus si ab ipso impetrante, quia sibi imputat si subreptitiae impetravit.
- 58 Præsides poterant cedere Juri suo, non vero præjudicare non vocatis.
- 59 Præsides, ut à Principe delegati, non poterant excedere limites facultatis concessæ sibi in rescripto.
- 60 Poterant Præsides cedere Juramento quantum ad se respiciebat, non vero quantum ad cæteros creditores non vocatos, & num. 82.
- 61 Summus Pontifex non remittit Juramentum in favorem tertii præstitum absque justa causa.
- 62 Princeps nunquam tollit Jus tertio quæsitum.
- 63 Princeps si scivisset de pacto Jurato, non concessisset.
- 64 Moyses impetrando salvum conductum ad finem utendi contra Juramentum; se reddidit indignum.
- 65 Judex nondebet parere rescripto à perjuro impetrato.
- 66 Salvus conductus per respectum ad principem latè est interpretandus, secus per respectum ad tertium, cui præjudicat.
- 67 Fit interpretatio juxta narrata, non verò extenditur ad ea, quæ erant specificè narranda.
- 68 Decisio Afflicti allegata explicatur num. 69. 70. 71.
- 72 Præsides creditorum non poterant excedere fines rescripti.
- 73 Juramentum Judæorum, pro ut est actus Civilis respiciens interesse Christianorum, & pro ut est actus Religionis, est omnino servandū num. 76.
- 74 Aliud est nihil curare de iis, qui foris sunt se habendo mere negativè, aliud se habendo positivè.
- 75 Illud D. Pauli, de iis qui foris sunt nihil ad nos, intelligitur quoad penas spirituales.
- 77 Juramentum obligat de Jure divino naturali & num. 81.
- 78 Explicatur dictum Marquardi de Judæis.
- 79 Licet Judæi non credant Trinitatem personarum divinarum, credunt tamen Unitatem, & sic Deum verum, licet conceptus Unitatis tantum sit conceptus inadæquatus, est tamen verus num 80.
- 83 Non verificatur Juramentum fuisse indiscretum, aut de re impossibili.
- 84 Novatio facta per Bartolomeum Creditorem cum Moysse, non cedebat sub potestate Præsidentum Creditorum, igitur Creditores non poterant extendere salvum conductum ad hunc secundum contractum novatum.
- 85 Sed ex consensu partium fuit recessum à secundo contractu, & reversum ad primum Juramentum.

ARTICULUS XIII.

De Negligentia Debitorum.

Debitor morosus, & negligens tenetur ad damna, & interesse, quæ patitur Creditor propter ejusdem negligentiam Calvinus de equit. l. 2. c. 166. num. 21., Giurba decis. 114., & D.D. in l. Vinum ff.; Si Certum petatur, & tenetur ad rationem quanti plurimi: Giurba decis. 115., Gratian. Discept. for. C. 42. num. 50., Rota Coram Duran. decis. 346. p. 2., eisque allegatis Pigant. rubr. 132. ad Statutum Ferrariæ num. 28. ubi num. 39., quando species est solvenda, puta triticum ad Constituendum debitorem in mora necesse est Creditori denunciare naves esse paratas, vel Currus ad recipiendum. Coccin. decis. 1804 num. 9., vel tenetur ad pœnam si Statuto,

vel pœcto ea sit imposita, vel ad periculum rei ex negligentia non tradidit, de quibus infra, & latè glos. in l. mora Vers. Difficilis est ff. de Usuris.

- 2 Cumque regulariter Debitor teneatur ire ad Domum Creditoris, ibique solvere, si recuset, aut omitrat ire negligens est, & incurrit moram ad allegata per Baverium de morap. 1. num. 38. per tex. in l. magnam C. de Contr., & Committ. stipul.
- 3 Debitor Negligens si sit suspectus de Fuga capi potest, dummodò juret, & Constet deteriorationem Supervenisse, & sic causam, suspicionis, quæ non aderat de tempore Contractus, supervenisse de novo Penia decis. 1664. num. 2., Caccialup. de debitore suspecto quæst. 6. num. 8. 9. 17. 20. cum

cum aliis pluribus allegatis per Scanarolam de visit. Carceratorum l. 3. §. 8. cap. 2. per totum, ubi de requisitis, & Pigant. ad Statutum Ferrar. p. 1. rub. 23., ad quos remitto, quia ad præsentem materiam de Negligentiis nõ faciunt.

Hæc regula plures patitur limitationes, in quibus non tenetur ad damna, & interesse licet Negligens.

4 Limitatur primò, quando Creditor peteret plus debito, quia tunc debitor habet justam causam litigandi, ne cogatur solvere plus debito, Cerro decis. 177. num. 3., ubi num. 4., & 8., quod eo casu Debitor excusatur à Mora, & negligentia, maximè si offerret debitor partem liquidam, & verè debitam, & Creditor recusaret accipere, Surd. Consil. 142. num. 6. 7., & latè glos. ia l. Mora in Vers. difficilis post medium ff. de Usur.

5 Limitatur secundò, si debitor fateatur debitum, sed petat dilationem ad solvendum, ea concessa, & durante termino, debitor non est negligens, Gait. de credito cap. 2. tit. 7. num. 1738., immò lucratur expensas imposterum, idest post termini assignationem faciendas, ut ex nostro Statuto Ferrariæ rubr. 20. lib. 2., Pigant. in eadem rub. num. 35., Calvin de equitate lib. 1. cap. 88. num. 37., Gratian. discept. for. c. 243. num. 34. 35.

6 Limitatur tertio, si debitor Consignasset speciem, vel aliam quamlibet rem debitam famulo creditoris aufugienti, si habuit justam causam eidem credendi, puta quia representasset Chirographum, quamvis falsum, quia tunc liberatur à debito, nec est in mora, quod verum est, ubi ex Coniecturis excludatur culpa, & dolus debitoris, ut latè examinavit casum Fhesaurus q. q. for. lib. 1. q. 62. ad allegata per Pigant. ad Statutum Ferrariæ rubr. 133. num. 42., ubi in Versiculo (in debitore tamen notabiliter limitat in debitore generis, seu pecuniæ, ut in Banchariis, vel Campsorbibus solventibus, falso nuntio, seu per Cedulam falsificatam, Marescot. Variar. resol. l. 2. c. 93. num. 16. 17. per tex. in l. falsus procurator C. de Furtis, Rota decis. 76., impressa post Volumen 1. consil. Farinac.

7 Limitatur quarto, si Judicis jussu res debita sequestrata sit apud Debitorem, quia tunc cum non valeat solvere, seu consignare,

& præstare, non est negligens per tex. in l. fin. ff. de lege commissis, c. Brevi de Jure Juran., Calvin. de equitate l. 1. c. 88. num. 38., & seqq.

8 Limitatur quinto, si post moram, & negligentiam debitoris, Creditor pariter moram, & negligentiam incurrat, quia ultima mora Creditoris est ea, quæ præponderat præcedenti culpæ, & negligentia debitoris, Afflicti. decis. 150. num. 30., Calvin. de equitate l. 1. c. 88. num. 11., & 12., idè debitor excusatur, & ex hoc supradictum est, quod si per negligentiam Creditoris pereant, vel minorentur pignora, damnum Creditori imputatur, & debitoris negligentia, cum Creditoris culpa compensatur, l. si ambo C. de compensat.

9 Ità pariter de Creditoris negligentia notatum est, quod juxta statutariam dispositionem Statuti Ferrariæ l. 2. rubr. 128., ubi Pigant. num. 23., & 31., quod debitore negligente solvere si Creditor taceat, & negligat petere per annos quindecim, amittit creditum, jurato per debitorem se solvisse, vel per ejus hæredes, se credere, debitum fuisse solutum, unde ex tali negligentia oritur præsumptio solutionis, notat tamen Pigantius num. 35., quod si revera debitor sciat debitum non solvisse, non possit juvari hoc Statuto, ex quo falsum Juraret, quod est peccatum, ita, & si hæredes scirent debitum non esse solutum, ex quibus oritur, quod cum Statutum nitatur præsumptioni Creditor potest probari contrarium, idest debitum non fuisse solutum, & sic negligentia prodest debitori, ubi posterior negligentia Creditoris sibi nocet, dū in se transfert onus probandi.

10 An debitor evitet negligentiam notam offerendo rem debitam, præsentis etiam inquisitionis est, & casus figurari potest in debitore, qui die certa tenetur sub pœna solvere determinatam pecuniæ summam, vel rem aliquam restituere, alias vel ad pœnam, vel ad interesse, & usuras teneatur, si debitor offerat se soluturum, vel restitutum &c., per hanc oblationem, an excusetur à mora, non fit negligens, nec teneatur ad pœnam, aut damna, & interesse, vel usuras creditori, neque ad periculum rei.

11 Pro solutione prima Regula fit, quod cessat mora, & negligentia per oblationem rea-

- realem, ita ut debitor ad aliqua interusura non teneatur, & liberatur à periculo rei, maximè si oblatio realis, sit Judicialis *l. acceptam C. de Usuris, Cerro decis. 109. n. 4., decis. 177. nu. 1.*, quia talis oblatio realis habet vim solutionis; *Merlin. de pignor., & hypot. l. 4. q. 83. num. 2.*, sicut cessare Salvianum interdictum dixit *Statil. de Salvi. interd. inspectioe 5. c. unico num. 11.*
- 12 Limita primò Regulam, quod realis oblatio, non excusaret à mora, si fieret loco non convento, aut tempore incongruo, ita ut creditor haberet justam causam recusandi, ut dum peregrinatur absens à Patria; *Merlin. de pignor. l. 4. q. 83. nu. 56., & seqq.*, ubi num. 66. tunc excusaretur, quando debitor simul offerret omne interesse, quod evenire posset ratione incongruitatis loci, & temporis.
- 13 Limita secundò, quod realis oblatio non excusaret à mora, si creditor, vel esset præsens, & paratus recipere rem sibi debitam, vel mittere hominem, ad recipiendum, quia tunc opus est facto, nec sufficeret sola ostensio, ut *bursa c. Pastoralis §. Præterea postulasti ad finem*, de officio ordinarii, *Barbosa in l. Si mora num. 45. ff. soluto matr.*, & quia aliàs oblatio esset inutilis, *Merlin. de pignor. l. 4. q. 83. num. 2., & seqq., Gregor. decis. 146. num. 2.*
- 14 Secunda Regula est, quod per oblationem solum verbalem, non cessat mora, & negligentia, *Cerro decis. 235. num. 13.*, fallit tamen in pluribus casibus.
- 15 Primò, si oblatio sit de re immobili, quæ realitèr non potest deponi, & transportari, & tunc intrat, quod lex ad impossibilia non obliget; *Merlin. de pignor. lib. 4. dicta q. 83. num. 12.*
- 16 Secundò, si oblatio sit de re movente, ut de equo, bove &c., quæ nequè possunt transferri, & apud notarium depositari, dummodo deponens, dicat, & revera paratus sit consignare ea in loco in quo reperiuntur, *Barbosa in l. Si mora num. 50. ff. solut. matr.*, *Merlin. dicta quest. 83. num. 13.*
- 17 Tertio, si debitum sit illiquidum, quia tunc realitèr non potest offerri, & exhiberi, *Merlin. dicta questione 83. num. 38., & seqq.*, ubi num. 42., quod ultra verbalem oblationem dandus est fidejussor pro summa liquidanda, si debitor non sit dives, & sufficiens ad solutionem.
- 18 Quarto, si creditor recuset recipere, quia tunc stat per creditorem, *Merlin. dicta q. 83. num. 18., Cerro dicta decis. 109. num. 5. ubi num. 6.*, quod ad hoc non requiritur expressa recusatio, sed sufficit, quod aliquo modo constet, creditorem recepturum non esse, & num. 7., quod sufficit, si creditor taceat, & non acceptet, quia taciturnitas habetur pro recusatone ejus, quod sibi offertur, *Statil. de Salviano interd. inspect. 5. c. 1. num. 29., Burat. decis. 517. n. 3.*, ibique addentes num. 4., ubi n. 5., quod taciturnitas creditoris, tunc non sufficit ad excusandum à mora, quando habet justam causam recusandi oblationem, & habet locum, non solum in præstatione semel facienda, sed etiam in annuis futuris præstationibus, *Marescot. variar. resol. lib. 1. c. 57. num. 2.*, ubi num. 3., id haberet locum donec constet, creditorem mutasse voluntatem.
- 19 Quintò, Verbalis oblatio sufficit, quando debitor convenitur in loco, in quo solvere non tenetur, sufficit enim, si debitor se offerat paratum solvere in loco destinatae solutionis, *Merlin. dicta q. 83. num. 55.*, sicuti enim debitor est in mora, si non solvat in loco oportuno, *l. Mora, ff. de Usuris*, ita excusatur à mora, si conveniatur in loco non oportuno.
- 20 Sextò, si creditor ex suo defectu non sit paratus recipere, ut in casu *decis. Coccin. 1804.*, quo emptor non erat paratus cum navi, aut cursu ad frumentum recipiendum; Deindè ut oblatio verbalis excuset à mora, tria requiruntur copulativè. Primò, quod sit facta purè non conditionalitèr. Secundò, quod creditor expressè eam recusaverit, vel saltem constet eum recusare, quod non habeat justam causam recusandi, *Marescot. variar. resol. l. 1. c. 57. num. 6., Gabriel. de Solutionibus concl. 8.*
- 21 Dixi, quod oblatio ad effectum excusandi à mora debet esse purè, & non conditionalitèr facta, & talis, ut liberum sit creditori sibi satisfacere, quod etiam militat in oblatione reali; nam si vinculo conditionis impediatur, tunc oblatio, & depositum non habet vim solutionis, quod tamen intelligendum est de conditione extrinseca; nam conditio intrinseca non restringit libertatem creditoris plusquam antea teneretur, idèo intrinseca conditio est

illa

- illa, ad quam de Jure tenetur creditor, & ad eam cogi potest ex natura rei, putà ut faciat confessionem de recepto, vel quod depositum consignetur cui de Jure &c. extrinseca verò est, ad quam creditor de Jure cogi non potest, *Addent. ad decis. 505., Gregorii num. 11., Merlin. de pignor. l. 4. q. 83. num. 68., & seqq., Statil. de Salviano interd. inspect. 5. c. unico num. 31., Pigant. ad Statutum p. 1. rubr. 26. num. 55. 56.*, ubi an conditio de investiendo ex consensu partium sit intrinseca, vel extrinseca, & nu. 64., & seqq., ita paritèr conditio intrinseca apposità à Judice, non vitiat depositum, *Cerro decis. 109. num. 17.*, ratio differentia est, quia conditio intrinseca, non est propriè conditio; Vide *Addent. ad Burat. decis. 429.*, Ubi ponuntur omnia requisita extrinseca conditionis.
- 22 Limita, si conditio extrinseca sit apposità ex consensu, & conventionione partium, quia in contractibus voluntas partium servanda est, *Rota coram Melio in Romana Censu, seu depositi 28. Junii 1645. nu. 9.* impressa post *Merlin. de pignor. decis. 102.*; Si verò creditor interpellatus à Procuratore offert se soluturum, si, & quatenus ipse doceat de legitimo mandato, tunc excusatur à mora, ex quo non tenetur credere, illum esse legitimum procuratorem, nisi probet, quod intellige, si procurator instet sibi solui, secus si vero creditori, nempe domino, adnotata *per Baverium de mora p. 1. num. 30. 31.*
- 23 Deindè, ut oblatio liberet à mora, & negligentia, debet esse specialis, & non generalis, generalis autem diceretur, si debitor se offerret adimplere adimplenda, & hæc non excusat à mora, *Merlin. dicta q. 83. num. 78.*, ubi num. 79., limitat, quando hæc oblatio generalis haberet relationem ad actum certum, & particularem, vel ad instrumentum, quia tunc æquipolleret oblationi specialis, & singularis, *l. Nominatum ff. de liberis, & posthum.*
- 24 Sicuti, ut oblatio liberet à mora debet esse integralis, & de toto debito, alias non sufficere & *l. quaedam ff. de rebus creditis*, quia creditor non tenetur recipere per partes, sed habet jus ad totum integrum creditum ad evitanda plura incommoda de quibus in *tex. in l. Tutor. 41. §. Lucius ff. de usuris*; ubi præciso pacto de recipiendo per partes,
- debitor non liberatur ab integris usuris, præstando debiti partem, cum aliis adductis *per Merlin. d. quest. 83. num. 79.*, ubi numeris seqq., describit plura exempla, in quibus verificatur, quando oblatio sit integralis.
- 25 Hoc autem, quod dictum est oblationem debere esse integram ad effectum excusandi à mora debitorem, habet suas limitationes videndas, apud *Merlinum dicta q. 83. à num. 91., & seqq.*, quarum aliquas breviter tangam ad rem nostram necessarias, remittendo tamen studiosum, apud eundem Merlinum.
- 26 Primò; Limitatur, si debitor partem debiti fateatur, partem neget, quia quod clarum est, & liquidum solvet, illiquidum verò non cogitur solvere, *l. quidam existimaverunt ff. si certum petatur, Marescot. variar. resol. lib. 1. c. 47. num. 12., Cerro decis. 177. num. 2.*
- Secundò; Limitatur favore libertatis *l. 4. §. item si decem ff. de flatu liberi.*
- Tertio; Limitatur in causa pia, *Leonicil. de priviil. pauperum privileg. 376. num. 4.*
- Quarto; Limitatur in compensatione, putà debitor in centum est, & idem creditor in viginti, potest petere sibi illa viginti compensari, & secundum hanc partem debitum diminuere *l. etiamsi C. de compensat.*, ubi *Barbosa num. 4.*
- 27 Quintò; Limita in paupere, qui plus non habet, quam partem debiti solvendi, si sumus in personis, qui non tenentur ultra quàm facere possint, juxta *tex. C. Odrardus de solut.*, *Leonicil. dicto privileg. 376.*
- Cætera vide apud Merlinum loco citato, & allegatos per eum.
- 28 Similiter ut mora, & negligentia evitentur per oblationem, requiritur, ut oblatio fiat in re debita, ut in pecunia expendibili, si debeat pecuniam, nam creditor non tenetur unum pro altero recipere, *l. 2. §. motui datio ff. si certum petatur, l. promissor 21. §. fin. ff. de constit. peccun., l. Manifestissimi 17. C. de solut., l. neque C. de compensat.*, *Pigant. ad Statutum Ferrar. rub. 132. num. 35.*, ubi num. 36., si res ejus bonitatis, quæ debetur, non reperiretur, vel longè expectanda esset cum maximo incommodo, tunc estimatio potest præstari, Sicuti debitor, qui promisit solvere in pecunia non potest invito creditore solvere in bonis

bonis, *Pasqual. de viribus Patrie potestatis p. 2. c. 9. num. 76.*, *Tessaur. decis. 153. num. 14.*, & observat *Merlin. d. q. 83. num. 113.*, quod si debitor sit obligatus præstare caponos, eos debet præstare vivos, quia tales præsumuntur in obligatione.

29 Quæ regula tamen fallit favore paupertatis, nam debitor pauper, si non habet unde præcisè solvat, quod debet, & factis diligentis non reperit emptorem, potest bona quæ habet pro quantitate tradere, & sic aliud pro alio solvere Auth. hoc nisi debitor *C. de solut.*, & enumerat inter privilegia pauperum, *Leoncil. privileg. 375. num. 4.*, ubi nu. 7., quod valet satisfactio pro foro conscientie, post *Valerum, Navaram, Dianam.*

30 An autem negligentia debitoris possit præjudicare Creditoribus ad præsentem nostram investigationem spectat, & Casus figurari potest, Titius magnam æris alieni contraxit Summam, nec habet ex propriis bonis, unde omnibus satisfaciat, contingat, quod instituat in legato, vel ab intestato factus est locus succedendi, quam hæreditatem si adeat, poterit omnibus Creditoribus satisfacere, si non adeat non est soluendo omnibus, si igitur vel per ignorantiam, vel per malitiam negligat adire hæreditatem, Creditoribus præjudicat, ut est *tex. in l. Qui autem ff. quæ in fraudem creditorum sunt*, ubi, quod illud edictum non pertinet ad eos, qui id agunt ne locupletentur, ubi *glos. notat*, quod illa omissio bene valet, ut nequeat per Creditores revocari, idem si noluit, seu neglexit adimplere conditionem; qua impleta acquisivisset; vel emancipavit filium suum, qui erat hæres, aut legatarius institutus, vel Seruū similiter alienavit.

31 Difficultas tamen adhuc superest de legato, quia legatarius acquirit etiam non facto aliquo actu, & transmittitur legatum etiam non agnatum, ad tradita per *Rozam decis. 40. num. 13. impressa post Farinac. de Ultim. Vol.*, nec sufficienter solvitur difficultas, si dicas tunc saltem non præjudicare, si repudiet, & omittat acquirere legatum ante aditam hæreditatem, quia nondum debebatur *l. si nemo, & l. si hæreditas ff. de testam. tutel.*, *l. secunda §. adeo ff. de vulgar. & pupill.*, *Gomez. tit. de legatis num. 11.*, at post aditam hæreditatem

non amplius dicitur non lucrari, sed suum perdere quia legatum est jam quæsitum ad *tex. in l. i. C. com. de legat.*, tum quia propositio illa, quod legata non debeantur hæreditate per hæredem non adita, plures patitur limitationes, quarum aliquas enumerat *Farinac. in Repert. Ultim. Vol. à n. 43.*, & *seqq.*, Respondit *Glos. in d. l. Qui autem ff. quæ in fraudem in Versi. legatum repudiavit ad finem*, quod legatarius negligendo, & repudiando legatum, etiam post aditam hæreditatem præjudicat, quia adhuc sumus in termino non acquirendi, nec diminuit sumum, quia fingitur legatum non esse quæsitum per *tex. in l. nam sicut ff. ad l. Aquil.*, quia tunc habetur pro non legato, & repudiando fingitur numquam fuisse repudiantis *Bartol. ad eandem l. Qui autem.*

32 Tetigimus in principio hujus Articuli, quod debitor negligens solvere in termino teneatur ad damna, & Interesse, quod potest contingere, vel ratione lucris cessantis, vel damni emergentis; de his aliqua notanda sunt, quantum spectat ad Institutum nostrum.

32 Et quidem non raro contingit, quod propter negligentiam debitoris in solvendo debitum Creditor teneatur recipere pecuniã ad Cambium, vel Censum constituere, cum onere annuatim solvendi quatuor, quinque, vel plus pro centenariis, & anno; & nunc quærimus, quæ requirantur ad hoc ut debitor teneatur ad hujusmodi annuos fructus, & tres conditiones requiri, notavit *Antonell. de tempore legali lib. 1. cap. 58.*; Vel quod Creditor facultatem habeat à debitore recipiendi pecuniam ad Cambium, seu Censum formandi, vel cessante hac facultate, quod Creditor requirat debitorem, ut solvat, cum protestatione, quod alias pecuniam ad Cambium recipiet, vel Censum constituet, secundò quod in rei veritate accipiat pecuniam in dictam causam, & quidem sibi necessariam, *Gratian. discept. for. c. 244. nu. 14.*, tertio quod postquam Creditor ita pecunias acceperit certiosem faciat debitorem, ut possit si velit ab hujusmodi onere annuo se liberare, itaut si aliquod ex his requisitis deficiat; debitor etiam negligens non teneatur ad illa onera annua, *Rota decis. 250. num. 5.*, & *seqq. p. 15. recent.*, *decis. 55. num. 12.*, & *seqq.*

seqq. decis. 149. num. 3., & *21. cum seqq. p. 19. recent.*, *Gratian. discept. for. cap. 829. n. 10.*, & *seqq.*, *Cap. 987. num. 15.*, & *16.*, *Leotard. de Usur. q. 75. num. 25.*, *Rota impressa post Vol. 2. Consil. Farinac. decis. 325. num. 5.*, & post *Centium de Censibus decis. 350. num. 7.*, *Coccin. decis. 498. nu. 3.*, *Biccius decis. 333. num. 2. 3.*, *Scaccia de Cambiis §. 1. q. 7. puncto 2. ampliat 8. num. 249. de Luca de Usur. discursu 35. num. 4. lib. 5.*, *Priol. decis. 139. num. 10.*, & *17. decis. 276. nu. 6.*, Immo quod requiratur necessitas capiendi tantam pecuniam ad evitanda majora, ac graviora incommoda: *Gratian. discept. for. c. 67. num. 16. 18.*, & *seqq.*

33 Dicitur est in secunda Conditione, quod in rei veritate Creditor recipiat pecuniam in dictam causam ad Cambium, aut Censum &c., quod potissimum pluries, tum *Rota*, tum *Doctores* considerarunt ad evitandas simulationes contractuum, ne scilicet sub hoc prætextu ad alias causas Creditor recipiat pecuniam, & velit Usuras hoc titulo paliare, ut dixit *Rota allegata per Antonellum d. c. 58. num. 2.*

34 Sicuti, & num. 4. *Antonell.* notat, quod, si Creditor pecuniã acceperit in societate officii, declarare debeat tempore initi Instrumenti se huiusmodi societate contrahere ad commodum, & incommodum debitoris, ne alias secuto lucro societatis Creditor mutata, vel simulata intentione diceret, quod illam contraxit ad commodum, & incommodum proprium, ut declaravit *Rota apud Antonellum allegata.*

35 Dicitur est in tertia Conditione, quod Creditor post pecuniam sic acceptam certiosem faciat debitorem, tum quia certo sciat sibi currere onus annuum, alias posset stare in suspensio, & dubitare utrum Creditor aliter sibi consulverit, vel necessitas asserta cessaverit, tum ut diligentior curare possit, se ab hujusmodi onere liberare, modo aliquo sibi minus præjudiciali, & minus damno, puta querendo Cambium, cum minori, & remissiori annua responsione, vel Censum cum minori fructu, ut hodie frequenter vidimus praticari, quod habentes Censum passivos, ad septem, & octo annuos fructus, alios constituunt ad quatuor, vel quinque, & ex pecunia recepta redimunt antiquiores magis onerosos.

36 Ita pariter lucrum cessans non debetur per Debitorem, nisi prius fuerit confcius,

& consenserit, vel interpellatus, sit constitutus in Mora *Antonell. de tempore legali lib. 2. cap. 21. num. 7.*

37 Vel in Casu, quo Creditor recipiat pecuniam mutuam, ut debitor teneatur ad lucrum cessans, necesse est, quod verificentur *Ulgata* requisita *Pauli de Castro posita in l. 3. §. ult. ff. de eo, quod Certo loco*, vel si debitor tenetur restituere pecuniam, quam Creditor paratus est implicare, vel in mercatura, & Negotiatione, vel in re fructifera, & quia debitor negligit solvere, idem Creditor non acquirit lucrum, quod aquireret ex re empta, vel negotiatione, requisita autem sunt, primò *Voluntas*, & intentio determinata implicandi eam pecuniam in Mercatura, vel Emptione rei fructifere, secundò, quod illa pecunia sit ad hoc destinata, tertio, quod habeat in promptu rem emendam. *Cerro Decis. 583. num. 10.*, ubi quod occasio implicandi pecuniam debet esse specialis in individuo, alias non debetur lucrum cessans, ut plenissime discussio artic. Responsum fuit in *Rota in Avenionen. pecuniaria coram Bicchio 10. Februarii 1640. §. nam Justitiam §. nec relevat probatio in genere allegata d. num. 10.* vel negociandi occasionem; vel saltem habeat spem proximam de re emenda, vel negotiationem, quam primum habendam quibus positus debitor negligens tenetur restituere Creditori lucrum cessans, quia nec æquum, nec Justum est, quod negligentia debitoris noceat Creditori, cum in prima parte viderimus, quod negligentia soli negligenti debeat nocere, & non alteri, ex *reg. quod nemo debet ex alterius culpa pregravari reg. Non debet 22. de reg. Jur. in 6.*, & tunc debitorem negligentem condemnari de Jure ad lucrum cessans tenet *Rota impressa apud Marchesam de Commiss. p. 1. §. 2. pagina 487. decis. 17. coram Lanzelot.*, & *coram Panpbilio decis. in Romana Censu 29. Novembr. 1593.*, *Caroc. de locato sub titulo de lucro cessante q. 1. à num. 4.*, & *seqq. Redolphin. praxi p. 1. cap. 8. num. 265.*, *Carleval. de Juditiis lib. 1. tit. 3. disp. 8. sec. 4. n. 37.*, & *sec. 6. nu. 97.*, *Bonacina de Contract. disput. 3. q. 3. puncto 4. num. 13.*, *Riccus Collet. 812. Puteus decis. 62. num. 26.*, & *decis. 837. lib. 1.*, *Reginald. lib. 23. num. 84.*, *Abbas in c. conquestus de Usur.*, *Sperell. decis. 118. nu. 19.*, & *seqq.*, *Leotard. de Usuris*